

prohibentes inhibitione perpetuo duratura, ne quis eosdem praepositum et conventum sanctae Aerae in praedictis bonis praesumat molestare quomodolibet vel turbare. Qui vero aliquid contra huiusmodi nostrum mandatum attemptaverit, omnipotentis dei offensam et nostram indignationem se noverit incursum. Ut autem haec nostra donatio a nobis liberaliter facta robur obtineat perpetuae firmitatis, praesentem litteram praehabitaee ecclesiae in testimonium dari fecimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum Tharant per magistrum Gebehardum praepositum in Hayn nostrum prothonotarium anno domini M°.CC°.LXXI°. XIII°. kalen. Martii, indictione XIII°. praesentibus testibus infra scriptis, Johanne burgrauio de Wytin, Alberto dapifero de Burnis, Henrico de Waldowe, Henrico camerario de Gnansteyn, Henrico de Syden et aliis quam pluribus clericis et laycis fide dignis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Das an weissleinenen Fäden befestigt gewesene Siegel ist abhanden gekommen.

No. 166. 1274. 9. Juni.

Markgraf Heinrich eignet dem Chorherrenstift fünf Hufen in Neckanitz, welche dasselbe vom Bürger Gevehard zu Freiberg erkauft hat.

In nomine domini amen. Henricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio universis Cristi fidelibus hanc litteram inspecturis salutem in perpetuum. Mundus interit et mundanae simul intereunt actiones, ne autem labantur cum mundo labili, quae rite fiunt ab hominibus perhennari solent obsequio litterarum. Notum igitur esse volumus tam praesentibus quam futuris, quod cum honorabilis vir dominus Theodericus praepositus totusque conventus sanctae Aerae Misnensis civitatis quinque mansos in villa Nekaznitz^a) sitos comparassent pro certa summa pecuniae quantitate a Gevehardo cive nostro in Vriberch iusto inter eos emptionis et venditionis titulo accedente, nos ad preces eiusdem Gevehardi et ad honorem omnipotentis dei et genitricis suae gloriosae virginis Mariae, nec non ob remedium praedilectae quondam coniugis nostrae Agnetis felicis recordationis praedictos quinque mansos, quinque talenta Vribergensis monetae et viginti pullos in festo beati Michaelis et insuper quinque scocos ovorum in festo paschae et unum modium papaveris in capite ieiunii solventes singulis annis, eidem conventui et monasterio beatae Aerae post liberam resignationem ab eodem Gevehardo pro se et suis heredibus liberaliter in nostris manibus factam in proprium dedimus cum omni iure et utilitate ad eosdem mansos pertinentibus proprietatis titulo perpetuo possidendos. In cuius donationis testimonium eandem litteram praedictis praeposito et conventui dari fecimus per manum magistri Gevehardi nostri prothonotarii, sigilli nostri munimine roboratam. Datum et actum in curia nostra Dresden anno domini M°.CC°.LXX°. III°. V° idus Junii praesentibus testibus infra scriptis, Ottone burgrauio de Dony, Johanne et Ottone de Vrswalde, Wernhero de Kirchberch, Henrico de Syden, Henrico camerario de Gnannenstein et aliis quam pluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; das Siegel ist abhanden gekommen.

a) Neckanitz, Eph. Meissen.